



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus**

**Engel, Ludwig**

**Salisburgi**

Cap. 7. De Obligatione Missæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40922**

## CAPUT VII.

De Obligatione Parochi dicendi  
Missam.

## SUMMARIUM.

1. *Ante Missam debet praemitti Matutinum cum Laudibus, sed non est gravis obligatio.*
2. *Parochus diebus festiuis tenetur Missam legere de precepto, diebus autem ferialibus, tantum de honestate, nisi habeat amplios redditus & sit Parochus populosa civitatis.*
3. *Quid faciendum si populus ita numerosus sit, ut ad unam Missam convenire non possit, vel solus Parochus ad administranda Sacramenta non sufficiat.*
4. *Propter necessitatem moribundi potest Parochus alteram Missam eodem die celebrare & probabiliter etiam post sumptam abluitionem.*
5. *Leges non extenduntur ad casus insolitos.*
6. *Votum non bibendi vinum, non violatur si in missa sumatur ablutio.*
7. *Particula consecrata reperta post abluitionem possunt sumi.*
8. *An liceat aliquando sine paramentis celebrare.*
9. *Qualiter Parochus pro suis Parochianis Missam offerre teneatur, & an pro una Missa possit à duobus stipendium accipere.*
10. *Parochus ex fundatione obligatus ad plures Missas in hebdomada dicendas, si medico tempore impeditus fuerit, non tenetur illas Missas persolvere per Vicarium.*



11. Parochus substituens Vicarium ad legendas Missas non tenetur ei tantum dare, quantum ipse ex fundatione percipit.

**P**ost Horas Canonicas recitatas ad Missam procedere potest Parochus; ita enim habetur notæ regulæ missalis, ut propter meliorem dispositionem saltem Matutinum cum Laudibus ante celebrationem præmittatur. Sed cum inter Horas Canonicas & Missam nulla sit necessaria connexio, idè illam obligationem præmittendi Horas Canonicas plerique DD. non esse gravem existimant, & contravenientem ad summum venialiter peccare, imò nullatenus peccare, si propter necessarias occupationes, aut aliam justam causam Horas commodè præmittere non possit. *Lessius de 1. § 1. lib. 2. cap. 37. de obio 12. n. 81.*

Circa Missarum lectionem obligatio incumbit Parocho, ut omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ Missam audire debent, per se, & per alium celebret, quæ est communis omnium DD. in æquitate naturali fundata, nam ideo dantur Parocho decimæ & alij fructus, ut necessaria salutis administret. Quòd verò etiam extra dies festos Parochus Missas legere teneatur, verius est nullum præceptum extare. Interim tamen id utique maximè decens est: imò si populus in aliqua civitate sit numerosus, & Parochus habeat ampliores redditus, eundem per Episcopum cogi posse, ut sæpiùs in hebdomade celebret, censet Laym. *lib. 5. tit. 5. c. 3. sub n. 2.*

Præ



- 3 Prætereà si in aliqua Parochia populùs ita nù-  
 merosus sit, ut ad unam Missam convenire ne-  
 queat, vel unus Parochus administrandis Sacra-  
 mentis sufficere non possit, tenèbitur Parochus  
 & per Episcopum cogi poterit, ut alios Sacer-  
 dotes sibi ad id munus rectè explendum adjun-  
 gat. *Trid. s. 21. de ref. c. 4.* si autem Parochia  
 fortè propter injurias belli depauperata pluribus  
 Sacerdotibus alendis non sufficeret, licentia da-  
 tur Parocho (saltem cum consensu Episcopi, ne  
 fiat abusus) uno die duas Missas legendi; sicut  
 etiam si ob penuriam Sacerdotum unus deberet  
 duas Parochias administrare, ut *ex cap. consului-  
 sti. de celeb. Miss.* communiter tradunt Interpp.  
 in quo cap. permittitur, ut Sacerdos ex causa ne-  
 cessitatis uno die possit plures Missas dicere.

Potro quia in *d. c. consului sti.* generaliter fit  
 mentio necessitatis, propterea plures casus re-  
 ferunt DD. in quibus sit licitum secundam Mis-  
 sam dicere, qui cum hodie ob numerositatem  
 Sacerdotum parùm praticentur, idèò enarrare  
 omitto, videantur apud Nav. in *Man. c. 25  
 n. 87. & 93.* inter eos casus ille est præcipuus,  
 qui etiam notatur per Gloss. in *d. c. consului sti.*

- 4 Si nimirum Sacerdos in Missa moneatur quòd  
 aliquis moribundus Viaticum desideret, nulla  
 autem super sit Hostia consecrata: tunc enim  
 (cum in solo pane consecrare non liceat) altera  
 Missa dici poterit, si tamen Sacerdos ante Com-  
 munionem monitus fuerit, non erit necesse  
 alteram missam incipere, sed licebit partem suæ  
 Ho-



Hostiæ ad ægotum deferre. *Sa v. Eucharistia.*  
*n. 15.* Notant autem DD. communiter, quod  
 quod Sacerdos duas Missas dicturus, in prima  
 non debeat sumere ablutionem. quod etiam di-  
 ligenter advertendum est Sacerdoti, si prævideat  
 sibi imminere necessitatem duas Missas legendi.  
 Interim multum probabile censeo, saltem pro-  
 bilitate intrinseca à ratione desumpta *cap. 4<sup>o</sup>*  
*de ref. (neque enim semper ex multitudine au-*  
*thorum quod melius judicandum l. 1. §. 6. C. de*  
*vet. jur. enucl.)* etiam post sumptam ablutio-  
 nem licitè secundam Missam dici si v. g. Paro-  
 chus duas Parochias administrans in prima Mis-  
 sa per errorem sumserit ablutionem, & alte-  
 ram Missam propter festum & concursum po-  
 puli absque magno scandalo omittere non pos-  
 sit: Item si unus vel plures moribundi Viaticum  
 desiderarent, eò quod præceptum Ecclesiæ, ne  
 Sacerdos non jejunos celebret non videatur in  
 casibus tam extra ordinarijs cum detrimento aut  
 scandalo fidelium obligare. † *Ex his enim quæ* §  
*forte uno aliquo casu accidere possunt, fura non con-*  
*stituuntur, nam ad ea potius debet aptari jus, quæ*  
*frequenter & facile, quàm quæ raro eveniunt. Ver-*  
*ba sunt l. 4. §. 5. ff. de LL. sicut ita si Sacerdos*  
 in introitu recordetur se jejunum non esse, Mis-  
 sam continuare potest. Et plurimùm facit ad  
 mitigandum rigorem legis, quod solâ ablutione  
 sumptâ Sacerdos adhuc moraliter, & communi  
 hominum acceptione jejunos reputetur, adeòq;  
 si iteratò celebret, minor irreverentia sublit,  
 quàm



- quàm si aliud quid per modum cibi sumpsisset.
- 6 Quemadmodum in simili Sacerdos vovens non bibere vinum, servat votum, tametsi in Missa sumat abluitionem. *Barb. in c. ex parte. de celeb.*
- 7 *Miss.* † Et proprius ad nostrum propositum, Sacerdos post sumptam abluitionem reperiens particulas, etiam quas scit consecratas, ex recepta sententia eas sumere potest; quamvis autem id dicatur fieri ex eo, quod censeatur talis sumptio pertinere ad idem sacrificium, nihilominus reverà sumitur Corpus Domini post abluitionem, & quidem sine gravi causa, cum illæ particulae possent reponi in aliqua Capsa vel Ciborio. Sanè si licet mihi Corpus Domini sumere post abluitionem in prima Missa sine irreverentia, vix adferri potest, cur non etiam ex gravi causa in secunda, cum suppositâ justâ causa secunda Missa de se non ponat novam irreverentiam, aliàs nec etiam à jejuno inchoari posset.

Verum quidem est, quòd Viaticum non sit simpliciter necessarium ad salutem, maximum tamen fructum confert animæ, quo etiam privare admodum durum est. Item Parochiani ceteri multùm scandalizantur & in Parochum odio exardescunt, si aliquem patiantur sine Viatico decedere. an non ergò expedit hæc evitare quàm prohibere Sacerdotem post abluitionem (quæ plerumque non advertitur à plebe) celebrare, quòd jure divino non est prohibitum & jure humano in similibus circumstantijs non expressum.

Dicitur



Dices, ex hoc sequi, quòd in propositis casibus liceret etiam sine vestibus sacris & aliis paramentis celebrare, quia & hæc jure tantum Ecclesiastico statuta sunt? R. Esse disparitatē, quia defectus vestium & paramentorum est excusatio publica, & potius scandalizaretur populus in celebratione Missæ sine paramentis, quàm in ejus omissione: sumptio autem ablutionis plerumq; cōtingit vel ignorante, vel nō advertente populo. ut nihil dicamus, præceptū de vestibus sacris salte originaliter & in veteri testamento fuisse juris divini & propter reverentiam Sacrificio debitam, videri adhuc aliqualem rationem moralitatis retinere. ideoq; gravius obligare. Deinde ex gravi causa licere Missam celebrare sine stola, vel manipulo, sine ministro, sine Crucifixo, cum uno tantum lumine etiam quòd non sit ex cera, & in casu gravissimæ necessitatis v. g. ob mortis periculum ( dummodo non petatur in contemptum Fidei ) licere etiam in communi & profano vestitu celebrare, tradit Laym. in Theolog. mor. lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 17.

Quòd ad applicationem sacrificij Missæ attinet, 2 ratio naturalis dicitur, & in Concil. Trid. s. 23. cap. 1. in pr. satis insinuat, quòd Parochi pro suis ovibus sacrificium Missæ offerre teneantur, attamen id non eo sensu accipiendum est, quòd semper totū sacrificium Missæ principaliter pro subditis offerendum sit, & nunquam possit Parochus secundum aliam intentionem celebrare; sed sufficiet, si secundario suarum ovium meminerit,

MAN. PAROCH.

L

nerit,



nerit, & quandoque arbitrio boni viri principalem intentionem pro eisdem faciat, *Barb. de offic. Par. p. I. c. II. n. 10.*

Alia est ratio, si quidam ex Parochianis speciale stipendium Parocho offerant, ut pro se Missam faciat; tunc enim acceptans tale stipendium tenebitur ex iustitia secundum eorum intentionem celebrare. & quidem si Parochus jam uni propter acceptum stipendium obligatus sit, vel ex fundatione v. gr. Anniversarij jam habeat necesse secundum certam intentionem celebrare, non poterit eodem die ab alio stipendium pro Missa accipere, & ita unam Missam duobus satisfacere, nisi is qui stipendium offert hanc de re certioratus ultrò contentus esse velit. *Laym. de Sacrif. Miss. c. 3. n. 4.*

Sed quid si Parochus ex fundatione aliqua debeat in hebdomade unam aut plures Missas dicere, is verò infirmetur, an tenebitur sui loco alium Vicarium substituere, qui illas Missas persolvat? Existimo tolerabilem esse (maximè in Parochis aliàs tenues redditus & nullum Capellanum habentibus) sententiam Petri Navar. *lib. 2. de restit. cap. 2. n. 210.* Quòd si infirmitas, aut aliud impedimentum, brevi tempore, scilicet per unam aut alteram hebdomadem, imò etiam per mensem, sit duraturum, non sit præsumendum, quòd fundator voluerit obligare ad compensationem; quemadmodum bonus dominus non solet propter modicam ægritudinem aut impedimentum servi, ejus mercedem deducere.

*Dices*



Dices, in *L. qui operas. ff. locati.* non fit restrictio ad modicum tempus, sed simpliciter dicitur, qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quo minus operas præstet. ad idem est textus in *l. i. §. Divus. ff. de var. & extra. cognit. l. post duos C. de advoc. divers. Jud.* R. Cum fidelium animarum tam defunctorum, quam vivorum inter sit, ut piæ fundationes impleantur, ne divinis sacrificijs priventur &c. idè allegati juris textus non incongruè explicari posse videntur de locatione operarum, quæ non possunt commodè per substitutum impleri, ubi persona industria electa est, ut in Professore, artifice, &c. vel certè ubi non est in contrarium verosimilis intentio fundatorum, & æquitas ac favor animarum, quibus non debent divina officia subtrahi. † Potest hîc etiam adnotari, quòd sufficiat, si Parochus substituto ad legendas Missas det congruum & in loco consuetum stipendium v. gr. medium florenum, quamvis ipse ex fundatione pro qualibet Missa proportionaliter plûs accipiat, neque propterea reliquum habebit sine causa, sed propter illud onus, ex quo tenetur certas Missas vel per se ipsum legere vel curare, ut per alium legantur. sicut medicus vel advocatus propter solam obligationem serviendi nonnunquam accipit salarium annuum, licet dominus toto anno non indigeat. Non tamen permittitur alijs Clericis qui pro una tantum vel altera Missa stipendium accipiunt, talè negotiationem



cum Missis, instituere & alijs rursus pro majori mercede elocare, *Declarat. Card. apud Barb. in collect. ad Concil. Trid. s. 22. de sacrif. Miss. n. 6. & seq.*

## CAPUT VIII.

## De Obligatione Parochi prædicandi Verbum Divinum.

## SUMMARIA.

1. *Diebus festiuis non debent negligere Parochi Conciones, & instructionem puerorum.*
2. *Quid in Concionibus proponendum.*
3. *Non tenentur hodie Parochiani Missam & Conciones diebus festiuis in propria Parochia audire, videtur tamen decere, ut aliquoties in anno propriam parochiam accedant.*

1 **V**erbi divini prædicatio utique ad munus pastorale quàm maximè pertinet, ideò instanter præcipit *Concil. Trid. s. 5. de ref. c. 2. s. 22. de sacrif. Missæ, cap. 8. & s. 24. de ref. cap. 4.* ne saltem dominicis, & festiuis diebus Conciones negligant Parochi, & ut pueros rudimenta fidei, & obedientiam ergà DEUM & parentes diligenter doceant.

2 Potrò ex eodem *Concil. Trid.* est advertendum Parochis, ut in Concionibus *suis postpositis inutilibus questionibus* doceant plebem cum brevitate, & facilitate sermonis, quæ scire necessaria sunt ad salutem, vitia quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat. Specialiter in d.

s. 22